

*Ira Socinus , Ostorodius , Volchelius &c. Socinianis ex parte accedit Simon Episcopus , Arminianorum defensor acerrimus. En ejus verba in resp. ad 74. quest. Le Baptême d' eau n' est pas nécessaire ni commandé absolument . Les enfans , qui meurent sans Baptême , sont plus heureux , que ceux , qui sont damnez pour leurs crimes , & il sont participans de quelques degrez de gloire . Sed hæc sunt somniantium deliramenta , ut mox videbimus .*

PROPOSITIO PRIMA.

*Baptismi Sacramentum sive parvulis , sive adultis necessarium est necessitate medii ad æternam salutem consequendam .*

Primum argumentum ex Scripturis .

§. IX Jo. III. legimus , Nicodemum Judæorum Principem ad Christum nocte venisse , propter metum Judæorum ; colloqui vero Nicodemi initium hoc fuit : *Rabbi , scimus , quia a Deo venisti Magister ; nemo enim potest hæc signa facere , quæ tu facis , nisi fuerit Deus cum eo .* Hæc dixit Nicodemus , putans , ad salutem sibi sufficere hanc professionem fidei , ut optime notat *S. Augustinus de consensu Evangelistarum c. 11.* At Jesus respondit illi : *Amen , amen dico tibi : Nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre Regnum Dei .* Dicit ad eum Nicodemus : *Quomodo potest homo nasci cum sit senex . . .* respondit Jesus : *Amen , amen dico tibi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto , non potest introire in Regnum Dei .* Primo hic observandum , cum *V. CL. Augustino Calmet* vocem , *Amen* , hebraice verum , fidele , certum , ita est in veritate , ita se res habet , &c. significare . Vox igitur jurantis , vel asseveranter affirmantis est . Eslo jurantis verbum hic non fit , negare tamen non possunt , horum verborum sensum esse . Rem certissimam tibi dico : *Nisi quis renatus fuerit &c.* Si res igitur certissima & verissima est , non renatos esse extra Regnum Dei , res certissima & verissima est , Sacramentum Baptismi esse necessarium necessitate medii . Deinde obser-